

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

141. Aqua composita Argenti Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

Præparatio salis armoniaci. R. Salis armoniaci libras tres, sublima per Vitriolum Romanum & lapidem hæmatitidem ter, qualibet vice cum novis materiis.

Quamvis hæc Isaaci Menstrua non tanti æstimanda sint ac præcedentia Basilii quoad præparationis excellentiam; nihilominus ea non minoris sed ejusdem virtutis sunt cum illis quoad tingendi qualitatem, ex eisdem enim componuntur sulphuribus, Crocis & Essentiis Martis, Veneris, sulphuris, &c. quibus Basilii menstrua mineralia composita fuere confecta. Lullius eadem menstrua acuit Essentiis metallicis non quidem modo confectis sed conficiendis in ipsa menstrui præparatione, ita Menstruo sætenti, sale harmoniaco vegetabili, acuato, conficit lunæ Essentiam quæ dicto menstruo commixta evadit menstruum hujus generis & dicitur

141. Aqua Composita Argenti Lullii,

Cap. X. Præticæ Testamenti majoris, Pag. 161.

Volum. 4. Th. Chym.

R. **I**N virtute A. (Dei) unam unciam de F. (Luna clara pag. 171.) bene purgata per cupellam vel cineritium. Et illud argentum bene percussum (malleo extensum) in rotellas scinde per petias parvas, curtas & strictas. postea in duas partes æquales divide, & accipe duo vasa vitrea solutoria nuncupata, sed melius liquefactoria sunt dicta & vocitata, quorum in hoc regimine, forma & mensura tibi demonstrabuntur in capitulo vasorum, & in quolibet istorum duorum pone unam unciam cum dimidia de E. (Menstruale 171. à nobis superius sub No. 67. datum) scilicet octavam partem totius menstrualis, projice statim intus quamlibet partem de F. & in continenti non negligenter obstruas os vasis suo cooperulo, & luta bene juncturam de luto jam dicto (in dicti menstrualis confectio) vel de cera clara & munda, quo facto pone in Balneo mariæ calido per triduum, ut Deus det tibi bonam diem. Postea accipies F. (Argenti dissolutionem) & Aquam colabis (decantabis) in aliam ampullam vitream mundam, & vasulum bene inclinabis & cautè, ne terra de F. cum aqua colari possit, nec Aqua turbari, & dictam

dictam phialam ubi posueris Aquam de F. obstrue & ad partem pone. Postea in continenti super solutorium de F. quod debet dissolvi (*altera Argenti pars destillanda in menstruum*) pone suum Alembicum, qui strictè & sapienter jungatur cum luto supra dicto, post hoc supra cineres cribratos situetur, & ponatur inde supra furnellum, & fac primum ignem, faciâsque destillari, & humorem in phiala vitrea sume, & fac de ferraturis lignorum ignem, & quando humor quasi destillatus fuerit totus, fortifica ignem de carbonibus paulatim, secundum quod videbitur ad punctualiter calcinandum terram, sed à nimio calore custodi, nam vidimus, quod ad calorem solis factum est, hoc intellige bene, nisi velis fatuus fieri; da hunc calorem continuè per undecim horas, post furnellum obstrue & vade dormitum, & de mane accipe tuum calcinatorium (*quod sic nominatur propter operationem suæ proprietatis, quod tibi offert altus materialis*) & infra projicies menstruale sæpè dictum in quo G. (*Mercurius noster, pag. 171. sive sal harmoniacum vegetabile*) dissolutus est (*vide inferius menstruum sub No. 147.*) & illud videbis operari, & fumum in altum ascendere, & metallum calcinari cum liquefactione, sed melius quam antè obtura proprio cooperculo quod intrat (*dictum calcinatorium*) & cave ne ponas in alium calorem, quousque fuerit operatum sua propria virtute, & postquam operatum fuerit & requieverit, luta bene juncturam cum cera communi, & sic lutatum pone in calido Balneo Mariæ per triduum naturale, prout alibi fecisti, quia sic expedit. Postea Aquam destilla, & calcina terram (*in fundo remanentem*) ut supra dictum est, & toties reïtera usque tota terra sit dissoluta per istud regimen in forma liquoris, & semper limum solutum ad partem pone, vel oleum arte dissolutum, quod est substantia corporis per Aquam depurata & portata per Aquam venti. Et quando totum erit dissolutum (*& destillatum*) insimul conjunge, postea pone per mensem cum dimidio ad putrefactionem (*circulandum*) in calore temperato, ubi vas optime sit lutatum cum suo coopertorio, & sic debet fieri figura de I. (*Compositum vel Aqua Composita Lunæ, pag. 171. ejusdem Voluminis.*)

Eodem modo aliquando Auri præparat Essentiam menstruo

T t

se-

fætenti lunari, cujus additione idem menstruum acutius, id est, nobilius reddit.

142. Menstruum fætens lunare solis
Essentiâ acuatam Lullii,

In Experimento XXX.

Rx. **S**Upradictam Aquam in qua habes animam Lunæ (*sub No. 121. descriptam*) ac in ea solve uncias duas vel unam cum dimidia salis fixi urinæ ut in suo Experimento (*sexto, à nobis autem sub No. 30. dato*) habes, quo soluto, in ea aqua dissolve unciam unam Auri, putrefac per octo dies, deinde separabis aquam per Balneum, corpus autem remanebit in vase ad similitudinem mellis fusi, supra quam materiam repone de destillata aqua tantum, ut supernatet duobus digitis, claude vas suo antenotorio, ac putrefac in Balneo per 24 horas; postea superposito alembico cum receptaculo, juncturis optime clausis, destilla per cineres, ultimo augebis ignem maximè & quod transactum fuerit, servabis optime clausum, est enim spiritus animatus, vel anima ipsius Auri.

Ex Receptis observamus,

1. *Menstrua hujus Generis esse istis vicesimi & vicesimi primi Generum nobiliora; ibi metallorum Essentiæ vel Magisteria dissolvebantur in mensuris mineralibus simplicibus, hinc autem in iisdem Compositis.*

2. *Menstrua hæc non differre à decimi Generis mensuris nisi in superaddita aciditate; dissolve Acido quovis menstruum dicti Generis & protinus transformabitur in hujus Generis menstruum.*

3. *Menstrua hæc digerendo iterum fieri dulcia & ut antea Vegetabilia.*

4. *Menstrua hæc non satiari, sed suis dissolutis augmentari tam in quantitate quam qualitate in infinitum.*

5. *Spiritum Mercurii universalis sive primam metallorum materiam Basilii à suo authore etiam nuncupari Mercurium duplicatum*